



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ad annum Christi 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118618**

§. 4. Petri Soto Dominicani obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

Sæcul. XVI. A.C. 1563. dum quererentur. Sequebantur Patres Lotharingii consilium, simulque decretum, ut die vigesima Maji primum discuteretur, quænam dies futuræ Sessioni esset præfigenda.

## §. IV.

*Petri Soto Dominicani obitus.*

*Pallav. l. 20. c. 13. n. 1.* Pridie, quam cuncta hæc in Patrum conventu decernebantur, die vigesima Aprilis Petrus Soto, seu Sotus ex Ordine Fratrum Prædicatorum Theologus percelebris Tridenti supremum diem clausit, cujus jacturam omnes Patres ob raram pietatem, atque eruditionem communi luctu deplorabant. Natus is erat Cordubæ in Hispania ex nobilibus Parentibus: anno autem Christi millesimo quingentesimo decimo nono juvenis adhuc institutum S. Dominici amplexus tantam nominis sui famam sibi comparabat, ut ad moderandam Caroli V. Cæsaris conscientiam seligeretur, quem etiam comitabatur in Germaniam, ubi ab eodem hæresis ibidem impune grassantis progressus edoctus, ut amplius hæreses impugnandi spatium nancisceretur, Aulam relinquendi veniam petiit, obtinuitque. Eodem tempore ad preces Cardinalis Ottonis Truchsesii Episcopi Augustani Dilinganæ in Suevia Universitatis



Sæcul. XVI.  
A.C. 1563.

fitatis studia restaurabat, suamque operam ad obeundum Professoris munus ipsemet obtulit, ac reipsa Theologiam publice tradidit usque ad Annum Domini millesimum quingentesimum quinquagesimum tertium; nam hoc anno Philippus Hispaniæ Princeps, ac postea secundus hujus nominis Rex, qui Mariæ Anglorum Reginæ desponsatus erat, ad Religionem Catholicam in Oxoniensi, & Cantabrigiensi Universitatibus restaurandam eundem Petrum Sotum, aliosque duos ejusdem sacri Ordinis Theologos selegerat: cum vero Maria Regina anno salutis nostræ millesimo quingentesimo quinquagesimo octavo vivis eriperetur, ob funestam illius mortem hi Theologi bene cæpta profequi præpediebantur: quapropter Sotus Dilingam reversus ibidem usque ad annum a Christi nativitate millesimum quingentesimum sexagesimum primum substitit, tum vero Pii IV. jussu ad Synodum Tridentinam contendit, ubi rara eruditionis suæ specimina edidit.

§. V.

*Epistola circa residentiam a Soto triduo ante obitum ad summum Pontificem per scripta.*

Pallav. l. c.  
Vie de D.  
Barth. des  
Martyrs. l. 2.  
c. 10.  
Kisc. p. 245.

Triduo ante obitum suum Sotus epistolam alieno chirographo, proprio

*Hist. Eccles. Tom. XLVI.*

O ta-